

illud myrobalanorum genus feliciter purgat, in quo gummosum sive resinofum hoc copiosius reperitur, ut in Myrobalanis Chebulinis, quæ ipsæ magis gummosæ sunt & magis purgativæ. Parari solent ex Myrobalanis SYRUPI, qui commendantur contra *Dysenteriam*: Sic habemus SYRUPUM COMPOSITUM MYNSICHTI, cujus non ultimum ingrediens sunt Myrobolani.

## POLYPODIUM.

**E**st planta filicularis quæ crescit circa radices arborum Quercus, abietis, fagi, Coryli. &c. Istud autem polypodium præprimis adhibetur & reperitur in officinis, quod crescit circa radicem quercus, & præscribitur à Practicis ita: R. Polyodii Quercini. In usu est RADIX, quæ est *splenetica*, & in affectibus splenis tam ex illo ortis quam eidem adscriptis valde convenit, ejusdem enim est naturæ cum filipendula, filice, Sandaracha, &c. & præter vires spleneticas obtinet vim purgantem & laxantem. Unde in affectibus hypochondriacis & splenicis, nodulis & decoctis alterantibus & laxantibus infunditur ab ℥j. ad ℥ij. quoniam ℥j. vel ℥ij. sufficiunt, si conjunguntur cum seminibus & aliis purgantibus appropriatis, uti habet *AVCTOR*: solum enim nunquam præscribitur. Et quidem ut ex hujusmodi purgantibus vis alterans & purgans melius possit extrahi & felicitus, adduntur aliquot ℥æ vel cremoris ♀. vel ♂. ♀. fixi vel alia corpora salina: hujusmodi enim ♂. avertit menstruum, ut extrahantur virtutes talium simplicium eò convenientius.

## PSYLLIUM.

**M**ajus quidem quod nobis est Exoticum, in Italiâ crescit & corticatum ad nos pervenit: Planta est glabra. Superius inter alterantia etiâ habuimus de Psyllio, sed istud fuit MINUS quod communiter refertur inter alterantia: Unde ejusdem seminis mucilago solet adhiberi in affectibus faucium ardentibus anginâ, ardore & siccitate linguæ estque ejusdem usus cum mucilagine seminis Cydoniorum, nisi quod magis conveniat in ambustis cum sacchar. h. Camphora, succo cancerorum fluvii atilium, &c. MAJUS solet *evacuare excrementa*, simulque habet vim *mitigandi humores eosq. obtundendi*, & convenire solet in *Dysenteria* & *Diarrhæa*, ut simul *abstergat* & etiam *acrimoniam humorum temperet*, in infuso à ℥ij. ad ℥vi. & ejus usus est & quidem rarus, quando opus est laxatione alvi & attemperatione humorum.

## RHABARBARUM.

**O**ptimum istud inter purgantia: radice flavâ adfertur ex Indiâ Orientali, in primis ex regione Chinæ & similibus, in quibus radix procrevit magna, quæ inciditur in taleolos (est succulenta & dulcis saporis) qui præparantur & exsiccantur in umbrâ. Nam in ☉. si exsiccaretur vis ejus purgans ex hauriretur à calore ☉. unde exsiccantur in umbrâ & ad nos adportantur vel ex Oriente Chinâ vel ex septentrione Molcoviâ quod posterius nullius est pretii, & id quod habemus ex Oriente, tantum est usitatum. Alias duplex *Rhabarbarum* habemus in officinis: VERUM & MONACHORUM. Verum est de quo jam agimus. Monachorum, quod interdum potest substitui, ita tamen ut ejus dupla dosis recipiatur, quia *evacuat leniter & adstringendo viscera valde roborat*, imprægnatum est ☉. acri alterativo & restitutivo M. sanguinæ crasseos, unde dicitur ANIMA EPATIS i. e. *cachexias* & similes affectus multum emendat. Unde specificè commendatur in malo hypochondriaco, & ejus symptomatis, ubi mira præstat. Benignè *evacuat corpus*, & posteaquam *evacuavit, roborat & adstringit*, & sola inter purgantia dicitur *carere malignitate cum aloe*, *Alterat egro-*

*giè M. sanguinæ & ejus dyscrasiam emendat. Hinc partes heterogeneas precipitando evacuat. In Ictero & similibus morbis à bile oriundis, quod dicitur, sive in quibus ☉. vol. urinofum est depravatum, & nimis ☉. sum, valde convenit pro evacuatione. In Ictero specificè commendatur tanquam correctivum & etiam purgativum. Hinc etiam propter virtutem adstrictoriam commendatur, & conducit multum in Diarrhæis & Dysenteris, in quibus purgat & simul etiam adstringit. Præscribi potest pro purgatione & pro alteratione, & propinari in affectibus Cachectis cum passulis, medicamentis tartareis, martialibus & chalybeatis; In fluxibus alvi, ubi opus est adstrictione, præscribitur commodè cum Laudano opiato & similibus. Si misceatur cum Gummi guttæ & resinâ Jalapæ est specificum purgans *Hydropicorum*, dum etiam ex Malsâ sanguinâ serum evacuat ac expurgat. In hæmorrhagiis quibuscunque solet commendari propter virtutem adstrictivam: Plura qui cupit de virtutibus egregiis Rhabarbari, in roborando corpore & cujus continuato usu qui *hydropem curavit & vulnus in capite periculosum, videre potest SCHOLZIUM, Epist. 15.* Cæterum vis purgans Rhabarbari consistit in spirituosus & volatilibus partibus, quæ leni coctione vel tostione exhalant; unde præscribitur: R. Rhabarbari tosti, vel non tosti; (non tostum, quando volumus ut purget, tostum verò quando volumus ut tantum adstringat) quando enim, uti dixi, torretur, vis purgans avolat & evanescit. Infuso Rhabarbaro in ☉. appropriatam Cent. minoris, abisynthii, &c. aculeatam cum ☉. per deliquium vel ☉. vis purgans abit in ☉. & residuum in substantiâ tantum adstringit. Commodè etiam infunditur in serum lactis, quod infusum valde convenit in *febris intercurrentibus, tertianis, biliosis & quartanis scorbuticis*, in quibus hæc infusio est elegans & egregia. SYRUPUS de CICHORIO cum RHABARBARO solet permisceri cum infusis & decoctis purgantibus modicè, sive laxantibus alvum. In specie infantibus convenit recens natis, quos præservat à superventu *Epilepsia, evacuanda meconium* ex eorum intestinis. EXTRACTUM de Rhabarbaro propinatur ad ℥j. potest etiam edigi in pilulas; extrahitur cum ☉. alterante & cum ☉. ♀. p. d. quod in *febris tertianis & biliosis* mirè convenit: & quidem si debet adstringere solum adhibetur, si laxare, permiscetur cum passulis, roborantibus vel infuso passularum minorum: & commodè sane permiscetur passulis minoribus, quia conveniunt in *Cachexiâ sanguinis*: vid. ea quæ dixi de passulis sub uvâ. Ex infusione fit MAGISTERIUM eodem modo atq; dixi sub Gratiolâ, si scilicet infundatur ☉. aluminis, quod magisterium non inelegantioris erit usus in purgatione, quam ipsum Rhabarbarum per se usurpatum.*

## RICINUS, der Bunder-Baum.

**C**ujus vulgò duæ sunt species, MINOR, qui aliâ dicitur VULGARIS, & MAJOR sive AMERICANUS. Differentia cognita est facilis, præter magnitudinem, quâ gr. minoris sunt minora, majoris v. majora: minora non admodò eleganter sunt picta atque colorata quam majora. & præterea in vulgari sunt inclusa grana capsulis hirsutis, in Americano capsulis glabris. Usurpatur GRANA variis tantum, propterea quoniam *nimis potenter, fortiter ac violentè evacuant & cum impetu sursum atq; deorsum quicquid inveniunt, ejiciunt*. Dosis sunt tantum in minori quidem nuclei 6. vel 8. in majori verò vix unum vel alterum potest assumi, propter nimiam virulentiam. Dixit tamen mihi quidam Empiricus quod 1. granum Tigliæ (ita etiam vocatur Ricinus Americanus

GRANUS